

1
2
3
4
5
6
7
8



1700.

1. ^{a, b, c} Beyerus, Georgius: De concubitu intra
tempus luctus
2. Buchardus, Johannes: De officio humanitatis
motus exhortando.
3. Emdel, Christianus Henricus: De usu historicæ natu-
ralis oratio. geographicæ in medicina.
4. Gumprechtus, Johannes Pantus: De obligatione hominis
erga patriam.
5. Hitzigius, Gottfriedus Nicolaus: De veterum indulgentiis
purchati, cum modernis jure aggratiandi.
6. Mayer, Jo. Jacob: De ἀρεταγωγία in moralibus.
7. Noertius, Christianus Gottfriedus. An et quatenus filii
familias Senatus Consulto Macedonico utentes,
libi sint in conscientia?
8. Anders; Henricus Augustinus: De diaconatus mi-
nistriæ ecclesiæ



9^o = Schreiterus, Christophorus: Utinam ille, qui sub
prohibita alienigenis jure bona quaedam ex defuncto
hactenus possessa jacenti hereditate occupat, in
judicio possessionis sit preferendus haeredi possessorio
vis. Defuncti. 2. Sumpl.

10. Sommerdaerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubrationes J. R. Exercitatio XII.
De fine et effectu feudi quoad dominium.

11. Sommerdaerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubrationes J. R. Exercitatio XI.
De feudali praescriptione

12. Sommerdaerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubrationes J. R. Exercitatio XI.
De successione feudali

13. Sommerdaerfferus, Barthol. Leonhardus: Annotationes
juris feudalis ad lucubrationes J. R. Exercitatio VII.
De effectu feudi quoad vasallum.



1700.

14. Lindenbofferus, Barthol. Lorchardus: Amulationes
juris feudalis ad lucubrationes J. R. Praetores XIV.
de rebus feudibus.

15. Widdlingius, Christianus: ... Controversiae juris
publici Rom. Imperii Constitutiones illustrantes XII.

1701.

1. Meit, Gottlieb: Fundamenti legis naturalis brevis
evolutio.

2. Barthius, Gottfriedus: De successione foeminarum
in feudis, earumque exclusione per masculos.

3. Hoepfer, Tobias: Num ecclesiae liceat
gerere capitamentum?

4. Menck, Ludovicus: Programma, quo ad ventile
honorum publicum Disputatio XVIII ecclesiarum

Controversiarum selectarum juris civilis. - - -
suscipiendam - - - juris studiorum invitata.

174.

5. Mucklerius, Ludovicus: De consuetudinibus parentum
inter liberos in priuilegiis conditis.
6. Ritter, Andreas: De iuramentis, quae falso h
tus non obligantia
7. Schmidtus, Thomas: De coronis casibusque imp
mris in sacrificiis usum.
8. Schmidt, Sr. Ludov: De silentii moralitate.
9. Suentendaefferus, Barthol. Leonhardus: Anus latrones
juris feudalis et lucubraciones j. R. Inuestitulis 15
De contrariis feudi.
10. Suentendaefferus, Bartholomaeus Leonhardus: Anus
latrones juris feudalis et lucubraciones j. R.
Inuestitulis XVI: De iudicio feudali.
11. Weidlingius, Christianus: De testamentis, quae pa
rentes in priuilegio Noo 107. inter liberos suos con
dere possunt.

F. F.

De

1700, 6

7N

M

8

A Δ I A Φ O P I A

in

M O R A L I B U S,
Inclytæ Facultatis Philosophicæ
Consensu,

P R O L O C O

in eadem obtinendo,

P R I O R I V I C E

Ad d. XXII. Decembr. M. DCC.

disputabit

M. JO. JACOB. MAYER,
 Zittâ-Lus.

LIPSIÆ,
 LITERIS GÖZIANIS.

70

A Δ I A Φ O P I A

M O R A L I B U S

in octavo Folio

P R O L O G O

in octavo Folio

P A R T I A V I C E

Ab d. XXI. Decembris M. DC.

M. Jo. Jacob. Mayer

L I T T E R I S
P E T R I I G O T T I A N I





Indifferentissimum Moralem statuere velle, absurdum sane & pestilentissimum dogma est: inde tamen ad alterum extremum statim prolabi haud licuerit, asserendo: dari actiones citra divinam ordinatorem per se honestas atque turpes. Equidem id nemo negaverit, dari à parte DEI actiones per se convenientes & repugnantes, propter Justitiam & Sanctitatem Ipsius essentialem: sed alia plane res est cum hominum actionibus, quæ à div. ordinatione & Superioris imperio dependent. Neque tamen nullius momenti existimari poterit, hoc objectum Juris Naturæ adeo accurate determinasse, cum multis temporibus, & imprimis seculo hoc precipiti à Viris Summis acerrimæ concertationes de eo sint agitata. Scilicet debita ipsius cognitio ad pleniorum Moralium scientiam facit, & in Theologia pariter insignem utilitatem spirat. Unde & ego haud frustra operam me collocaturum fore persuasus sum, si paulo curatius in istud inquirerem, & hac occasione, ut Veritas sibi constet tantò certius, ulteriori disquisitioni publice exponerem. Quæ ut æquiori animo accipiantur, etiam atque etiam precor.

§. I.

UT Status controversiæ recte formetur, prius exponendum venit tum natura Moralium, tum quoque Indifferentiæ. Quoad primum, notandum, actionem moralem dupliciter accipi, vel late, vel stricte. Late accepta, denotat motum à facultatibus homini connatis & propriis productum, quem homo in libera sua facultate habet, & nihil aliud est, quam motus hominis voluntarius. In strictiori vero magisque proprio significato Moralis dicitur eadem actio libera, sed quæ simul respectum involvit ad aliquam regulam sive normam, & pro convenientia vel disconvenientia cum eadem, in genere morum certam qualitatem, hoc est, bonitatem vel malitiam acquirit, communiterque actio humana appellari solet. Nam quoniam ab istis actionibus, prout bene aut male ab aliquo obeuntur, seu prout ad legem tanquam normam suam congruunt, vel non congruunt,

A 2

ita

70
ita moratus aliquis denominatur, ipsæque animorum inclinationes, ex frequen-
tibus resultantes actionibus, mores appellantur; inde factum, ut ipsæ actiones
humana moralium vocabulo designentur. Pufend. de Jur. N. & G. Lib. I. c. 5.
§. 1. p. 67. Et hæc significatio etiam hujus est loci, definiturque, quod sit Mo-
tus hominis voluntarius prout involvit respectum ad normam.

§. II. Tria igitur sunt, quæ ad actionem Moralem proprie sic dictam re-
quiruntur. Nempe motus organorum, determinatio mentis, & denique re-
latio ad normam sive regulam. Primum quod concernit, est motus mem-
brorum & artuum humanorum unà cum effectu, quem motus iste per natu-
ralem habitudinem in objecto producit. Alterum est determinatio mentis,
ad actum aliquem suscipiendum vel omittendum, quo respectu ipse homo
actionis suæ autor existit, eidemque effectus imputari potest. Et his ipsis
absolvitur, quod in actione morali Materiale dici solet, estque nihil aliud
quam physicus ille motus, quo potentiæ hominis tam rationales quam ir-
rationales ad aliquid peragendum, non sine provido summæ & primæ causæ
concurfu, moventur. Restat tertium idque formale, nempe relatio ad nor-
mam seu regulam. Ex quo enim Div. Numen hominem facultate libere
sefe determinandi præditum creare decrevit, eo ipso simul quoq; voluit, ne
in diem viveret, & bruto um ad instar in hoc universo oberraret, verum ut
actiones suas ad certum aliquem finem dirigeret. Atque hinc duplex emergit
hominis tanquã creaturæ intelligentis perfecti; Una naturalis, quo spectat,
quicquid rei naturam in se perficit; Altera in eo consistit, quando per studia
& actiones suas ad præscriptum finem enititur & assurgit. Atque hæc illa est,
quæ Moralis dici solet. Quæ cum ipsi motui physico intrinseca non sit,
verum aliunde sc. ex præscripta norma dependeat, certo constat, quod
Moralitas nihil aliud sit, quam qualitas motui physico superveniens, ex re-
latione ad certam aliquam normam.

§. III. Sed quæstio jam est, quænam illa norma atque regula sit, ad quam
in actionibus hominum respectus haberi debeat. Equidem non tantum à
Scholasticis, sed etiam aliis quàm pluribus Lex Dei æterna communiter alle-
gari solet. Ast suo loco inferius patebit, æternam hanc legem nihil aliud
esse, quam, uti Dn. Thomæ loquitur, figmentum Scholasticorum. Quod
etiam alii non omnino diffiteri videntur, quando eam pro lege tantum impro-
prie & abusive sic dicta venditant. Verum ne in disciplina maxime reali, vanis
tantum conceptibus ludamus, necessum est, ut normam propriam atque
veram in medium afferamus. Est vero hæc nulla alia quam Voluntas DEI
æter-

æterna & immutabilis, in creatione nobis indita & manifestata. Ultra hanc enim ascendere velle, esset ipsum DEUM ex orbe relegare. Optime ea in re Gentilis Cicero philosophatur: *Orta est Lex sempiterna cum mente divina, quamobrem lex vera, atq; princeps, apta ad jubendum, & vetandum, ratio est recta summi Jovis.* Lib. II. de Legg. Et paulo ante: *Hanc video fuisse sapientissimorum sententiam, legem neque hominum ingenii excogitatum, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia.* Ita principem legem illam, ac ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis DEI: ex qua est illa lex, quam dii humano generi dederunt. Quam promulgationem in Orat. pro Milone eleganter descripsit. In nobis, inquit, non scripta, sed nata lex est: quam non didicimus, accepimus: legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti sed facti: non instituti, sed imbuti sumus. Dupliciter ergo divina voluntas considerari solet. Vel quatenus in ipso DEO est, & ita vere atque proprie dici potest Lex DEI æterna. Est enim nihil aliud, quam, definiente Bayero, *æterna & immutabilis DEI Sapientia ac iudicium, de his, que creatura rationali, qua talis est, conveniunt aut disconveniunt, conjunctum cum Voluntate, ut ea fiant, vel non fiant.* Vel quatenus in creatione humanæ naturæ implantata atque promulgata est, quo respectu Lex Naturalis audit, definiturque quod sit *Lex div. cordibus omnium hominum inscripta, obligans eosdem, ut ea, que necessario conveniunt cum natura hominis rationali, faciant; ea vero, que eidem repugnant, omittant.* Thomas. Jurispr. Div. Lib. I. cap. II. §. 97. p. m. 82. Unde jam plenius intelligere datur, quid sub Moralitatis nomine innuatur. Nimirum certa qualitas sive determinatio, motui physico superveniens, ex convenientia vel disconvenientia cum lege DEI Naturali orta.

§. IV. Sed probe hic notandum est, tria illa requisita in actione morali à se invicem recte distinguenda esse, ne, quod in iis formale est, cum materiali confundatur. Nimirum dantur certa quædam vocabula, quæ integrum actum moralem, aut effectum aliquem unà cum vitiositate denotant, v. g. malevolentia, invidia, adulterium, furtum &c. Ex his enim qui inferre vellet; Ergo dantur actiones per se turpes vel honestæ, neque demum turpitudinem seu moralitatem à lege habent, is certe oppido falleret, & falleretur. Nam ut de actionibus primo dicam, adulterium non indicat merum quendam actum physicum, sed qui Moralitatem & legem quam-

70
maxime involvit. Denotat enim concubitum cum alterius uxore. Ubi
τὸ materiale & physicum est, concubitus cum foemina; sed formale, quod
actui huic moralitatem imponit, eundemque turpem reddit, in eo est, quate-
nus fit cum uxore alterius. Uxor enim notat foeminam, quæ uni soli legi-
time fidem conjugalem dedit. Atque hic actus lege vetitus, & moraliter
malus, uno vocabulo dicitur adulterium. Pariter sese res habet cum af-
fectibus modo nominatis. Invidia enim notat ejusmodi affectum, qui o-
dium contra alium, cui bonum aliquod obtingit, semper conjunctum ha-
bet. Ubi τὸ physicum & materiale est ipsa mentis motio; formale, ad-
hærens ipsi ἀραζία, lege prohibita. Et sic de reliquis.

§. V. Denique etiam dicendum quid est de ἀδιάφορα. Notat hæc in
genere morum actionem velut in medio positam, hoc est, neque bonam ne-
que malam, sed quæ ad utramque perinde se habet. Quemadmodem e-
nim in Prosodicis syllaba illa indifferens dicitur, quæ perinde corripitur potest
ac produci: ita quoque in moralibus id, quod & bonum & malum fieri pot-
est, indifferens vocatur.

§. VI. His debite præmissis, formari jam potest Status controversiæ, ubi
quæstio est: *Num actiones hominis quatenus à potentiis naturalibus proveni-
unt, & citra respectum ad legem considerantur, sint indifferentes, moralitatem
vero demum aliunde, sc. à lege Divina Naturali, accipiant? Et respondetur,
Affirmando.*

§. VII. Probatum autem hæc assertio variis argumentis. Primum ab ipsa
natura actuum indifferentium desumi potest. Nam unus idemque motus
physicus ad bonitatem & malitiam perinde se habet, ut vel bonus vel
malus fieri possit. Jam igitur, quo posito vel bonitas vel malitia super-
venit, id ipsum in moralibus indifferens sit, necesse est. In eo enim versatur
natura actionis indifferentis, ceu ex modo dictis patet. Sed posito motu
hominis physico demum supervenit vel bonitas vel malitia. Quod ex in-
ductione per omnes actus facile probari posset. Sufficiat interim unico tan-
tum exemplo id demonstrasse. Cædes hominis est actio physica, adeoque
indifferens, & neque bona neque mala, attamen pro ratione circumstantiarum
fieri solet vel bona vel mala. Ita enim cædem committit latro, miles, car-
nifex, & qui se adversus aggressorem defendit. Prior actionem malam
perpetrat, reliqui bonam aut saltem licitam. Unde etiam motus ille non
potest non esse indifferens.

§. VIII. Vel etiam vice versa argumentari possum h. m. Ubi
non

non habetur respectus ad regulam, à cuius conformitate vel difformitate actus moralis formaliter dicitur, is actus etiam moralis non est, & per consequens indifferens. Sed posito actu physico non habetur talis respectus, & per consequens non est moralis, sed indifferens. Major clara est. Nam morale & indifferens sibi hic loci contradictorie opponuntur. Minor autem inde constat, quoniam motus ejusmodi physicus tum actuum, tum ipsius voluntatis sive mentis, convenit creaturæ rationali in genere naturæ, tanquam propria ejus & naturalis perfectio. Vid. *supr.* §. 2. Colligere hoc licet ex delirantium & puerorum actibus, qui, antequam recta ratione utuntur, nec laudem, nec reprehensionem, nec præmium, vel poenam proprie incurunt. Unde firmum manet, quod actus physici per se, & in sua natura considerati, sint indifferentes.

§. IX. Deinde hoc etiam patet ex oppositæ moralitatis ratione. Quod si enim moralitas motui physico aliunde accedit, sequitur quod in se moralis non fit, sed indifferens. Atqui verum est prius. Ergo & posterius. Majoris consequentia est evidens. Nam intrinsecum esse, & forinsecus accedere, sunt termini contradictorii. Minor autem ex definitione moralitatis patet. Hæc enim juxta omnium Moralistarum sententiam consistit in relatione ad DEUM & legem ejus, Vid. *sup.* §. III. & *Hornej. Philosoph. Moral. Lib. II. c. VII. §. 15.* Testatur etiam hoc ipse Spiritus S. testis optimus ac infallibilis, qui alterum oppositorum sc. malitiam actionis per *ἐνομήν* definit 1. Joh. III. 16. Dum itaque certum est, bonitatem vel malitiam actionis ex lege demum resultare, necessum est actiones physicas per se, absque relatione ad legem, non esse honestas aut turpes, sed in genere morum indifferentes.

§. X. Quarto accedit, quod Divinum Numen concurrat ad motum physicum producendum. Cum igitur à DEO omnipotente habeamus, non tantum ut simus sive existamus, sed etiam vivamus & moveamur, Act. XVII. omnino indifferens erit, nisi, quod absolum plane est, DEUM peccati causam facere velimus.

§. XI. Denique cum simplex semper sit veritas, certissimum pariter assertæ veritati argumentum accedit, quod opposita thesis, qua statuunt, actus hominum antecedenter ad legem Naturæ & Voluntatem Div. morales esse, multis labyrinthis est implicita. Præ cæteris eandem suo ordine proponere videtur *Jo. Friedr. Hornius Tr. de Subj. Juris N. Cap. VII. §. 25.* cit. atque commendatus ab Excell. *Dn. Eisenhardt. in Diss. de Actionum bu-*

mana-

70
*manarum Moralitate & Indifferentia §. 19. Accidit, inquit ille Hornius, omnibus rebus à Jure N. mandatis vel prohibitis, ut in objecto lateat malitia vel bonitas. Nam unanimi consensu receptum est, actiones ex prescripto Juris N. resultantes ideo bonitatem nancisci, quod circa rem bonam occupentur, contrarias autem vel eo tantum nomine contrahere pravitatem, quod circa rem malam versentur. Et nonnullis interjectis §. 28. idem ita pergit. Quoties quaeritur, num homicidium sit fugiendum? continuo affirmat rationalis creatura; Si quaeratur assertionis causa, illa dabitur, quia in se malum est. Vera utique causa, quæ in objecto ponit principium obligationis. Sed non quiescet curiosus animus, ulterius instabit & rogabit, quare malum sit? Hic ipsum objectum ad normam ponendum eidemq; applicandum est, ex qua applicatione id responsum dabitur, quia ex sua natura adversatur honestatis regulæ nobis implantatæ, & ab hac discrepat; Si procedas ultra & inquiras, cur illud rectæ rationi disconveniens malum sit? Respondebitur, quia simul à lege æterna abhorret, cujus vis impressa est homini. Si nec dum sedeat mens, & petat, cur legi æternæ contrarietur? decisoriæ accipiet causam, non quia voluntas aut imperium divinum prohibuerit, sed quod Justitiæ & Sanctitati divinæ opponatur & ab eadem deviet. Hæc Hornius. Subjungit Eisenhart: Quibus quid dici queat elegantius, aut ad percipiendam ultimam moralitatis originem illustrius, non video. Quod si nunc ea omnia rite perpendas, facile cognosces, nihil omnino deesse, quod ad falsitatem thesæos ostendendam requiri solet. Primum idque generale indicium est, quod opinio hæc nullo fundamento innititur, sed, ceu Hornius ingenue fatetur, communi tantum consensu recepta est. Scilicet ut tanto fortius impugnari queat Indifferentismus Moralis, uti Zentgrafius putat. Vid. Eris Scand. Pufend. p. m. 335. Nec quicquam pro eadem stabilienda afferre potuit Velthemius. Vid. Pufend. l. c. p. 297. seqv. Equidem communiter allegari solet Lex DEI æterna, sed talis, quæ in rerum natura nec est, nec esse potest. Præ cæteris plana videtur esse istius definitio, quæ habetur in Disp. de Lege Æterna habita Lipsiæ Anno 1685. *Lex Æterna est norma actuum Divinorum, quam ob convenientiam cum intellectu suo practico in regimine mundi adhibere ab æterno decrevit DEUS.* Sed quo planior est, eò luculentius inde patet, quibus difficultatibus involuta sit ista hypothesis, nec quicquam amplius importet, nisi merum quendam conceptum. Primum nulla causæ efficientis fit mentio, sed concipitur ad DEUM antecedenter, hoc est, concipitur effectus negata tamen causa efficiente. Et quamvis excipias, legem hanc esse ipsam DEI Sanctitatem & Ju-*

stitiam

2
Iustitiam abstractivè ad voluntatem ejus antecedenter consideratam. Scien-
dum tamen in DEO nihil prius esse, aut posterius, neque etiam in sinu ra-
tionis nostræ quid concipere licere, quod à parte DEI involvit imperfectio-
nem, ceu mox patebit, ubi porro expenderis fundamentum. Constituitur
hoc in convenientia vel disconvenientia cum intellectu div. practico. Scilicet
opinantur, quasi DEUS ab æterno vidisset, quædam convenire cum iustitia
sua essentiali, hinc eadem adhibere; quædam vero ab eadem discrepare, hinc
omittere in regimine hujus mundi, ob hoc præcise fundamentum decrevis-
set. Sed unde hæc rerum attributa, rebus ipsis tamen plane nondum existen-
bus? Nam posito, iudicium intellectus DEI practici antecedenter sese ha-
bere ad voluntatem in sinu rationis nostræ, præsupponenda tamen simul
est ipsa rerum existentia, neque cum hæc semel ad rationis nostræ modu-
lum examinare libuerit, iudicium illud cum voluntate ipsa erit confunden-
dum. Nimirum ideæ sive conceptus intellectui divino inhærentes, cum
ipso DEI intellectu, adeoque cum essentia divina tam arcte connexæ non
sunt, ut ab æterna emanatione, naturalique necessitate surgant. Siqui-
dem ita vel res cognitæ determinarent intellectum divinum, adeoque Deus
denderet ab aliquo à se diverso, saltim intelligendo; Vel intellectus
determinaret se ipsum: quod vero hypothesin evertit, cum se determinare
in substantiis intelligentibus voluntatis actus sit. Nec est, quod provoca-
re velis, ad DEI potentiam, ut statuas: res hic spectandas esse quoad essen-
tiam tantum, & quatenus sunt possibles. Nam possibilitas illa rerum con-
siderata in respectu ad DEUM, in genere quidem sive confuse & inde-
terminate fundatur in DEI potentia & decentia, tanquam necessario præ-
supposito ad producendum effectum; proxima tamen & adæquata causa
est beneplacitum DEI agentis. Ut adeo possible dicantur, quæ DEUS
ad illustrationem perfectionum suarum sapientissime fieri voluit, illis suam
naturam & omnem naturæ modum ex liberrimo beneplacito assignando.
Non enim omnipotentia in DEO est facultas necessaria, qua posita, omnia
ipsius objecta simul ponantur. Aliàs enim DEUS semper ageret omnia,
quæ posset, cum DEUS illa tantum faciat, quæ vult. Neque etiam putan-
dum, rerum naturam à Deo independentem, voluntatem Dei adeo determi-
nasse, ut si aliquid in tempore extra se producere voluerit, sic & non aliter
producere debuerit. Ita DEO, si non quoad exercitium actus, saltem in
modo actionis necessitas incubuisset inevitabilis plane, quæ ipsissimum
Stoicorum fatum est, merito detestandum. Potius Deus ipse omnia, quæ
præter se sunt, sapientissime & liberrime volendo invenit, & qualia esse de-
beant,

B

beant,

70
beant, apud se statuit. Unde etiam in ipsa Sacra Scriptura significanter, admodum dicitur, quod omnia à DEO creata per ipsius voluntatem & sint, hoc est, essentiam certam acceperint; & creata sint, hoc est, in tempore secundum hunc essentiae typum producta extiterint. *Apoc. IV. 11.* En itaque fundamentum mere imaginarium, & non nisi in Scholasticorum cerebris existens. Unde etiam, quod alterum falsitatis indicium est, ipsa assertio non potest non ambigua esse & inevidens. Quod si enim vel summa cum autoritate quis pronunciaverit decisivam illam sententiam; homicidium esse fugiendum, quoniam divinae sanctitati repugnat: Nihilominus tamen mens sciendi cupida hærebit & anquiret: cur sanctitati & justitiae repugnet, & cur fugiendum? Deinde nec certum aliquod γνώρισμα & criterium moralitatis allegare norunt. Equidem ab objecto communiter eandem dependere ajunt, sed pro diversitate casuum & exemplorum, intentionem aliasque circumstantias pariter respiciendas esse statuunt. Quin imo cum etiam loci & temporis circumstantiae actionem vitiosam reddere possint, ceu *Hornejus* notavit *Phil. Mor. Lib. II. c. 7. §. 15.* ne criteriorum numerus nimium excrescat & incertus fiat, has propriam rationem amittere, & objecti naturam induere, contendunt. *Vid. Anton. Le Grand Instit. Philos. P. X. Cap. XXI. Artic. 13. p. m. 807.* In tanta igitur circumstantiarum varietate, unde certo dependeat actionis moralitas, haud apparet. Denique etiam accedunt, ceu necessarium consequens, variae difficultates, imo absurda, quæ vel subtilissimis abstractionibus aut distinctionibus nunquam poterunt evitari. Primo enim in genere implicat dicere: *dari actiones in se malas* h. e. sua natura turpes. Nam in actione humana, ceu supra dictum est, vel natura considerari potest, vel moralitas. Natura quatenus abstrahitur à circumstantiis moralibus; moralitas quatenus ad circumstantias morales reflexio habetur. Quando igitur actiones quædam in se malæ vel turpes, & etiam honestæ dicuntur, dicuntur quædam actiones sua natura morales: sed qui hoc dicunt, revera dicunt, quasdam actiones abstractas à circumstantiis moralibus, quæ abstractionem illam involvere circumstantias morales. Porro implicat, *obligationis principium ponere in objecto.* Nam obligationis omnis efficacia consistit in reverentia & metu legislatoris. Ita vero reverentia & metus legislatoris adesse statuitur ante ipsam legem. Ulterius quando ad *legem* provocant, & ex convenientia vel repugnantia cum eadem actionis moralitatem derivant, volunt actus quosdam ante legem, esse à lege præceptos aut prohibitos. Denique cum ad ipsum *Deum* provocant, & quidem ipsius attributa *Justitiam, Sanctitatem, Omnipotentiam* deci-

2
decisorium hoc opponimus argumentum: Si datur aliquid honestum & turpe in se antecedenter ad ipsum Deum, vel Deus ita determinavit, vel aliquid extra Deum. Si prius dicis, habeo quod volo. Si dicis posterius, vel admitendum est fatum stoicum, cui & ipse Deus sit allegatus; vel dabitur aliquod principium Deo prius, aut æternum, formas rerum quasi determinans & specificans, cui ne Deus quidem contravenire debeat aut possit. Hactenus de sententia nostræ contradictorie opposita, cum vero ex duabus contradictoriis, una falsa, altera necessario vera sit, penes æquum lectorem jam esto iudicium, cui quis subscribere debeat.

§. XII. Interim Veritatem expeditam atque demonstratam secutus, pede minus offenso progredior ad solvendas objectiones præcipuas, quæ contra propositam thesin quocumque modo moveri solent. Argumentantur
1. *Si actuum humanorum moralitas à lege dependet, sequitur Deum potuisse legem N. ita formare, ut contraria forent præcepta illis quæ nunc sunt. Sed negatur posterius. E. & prius. Resp.* Consequentia hæc nulla est, & fucus latet in acceptione legis Nat. quam falso sibi concipiunt. Nam Lex Nat. versatur circa ea, quæ necessario conveniunt naturæ hominis rationali. Hinc constat, legem hanc latam esse, non ex mera libertate & absolute, citra ullum respectum ad circumstantias atque subjectum: sed potius in respectu ad illud, quatenus scil. ejusmodi actiones animali, ratione & oratione prædito, conveniunt. Deus enim, cum hominem tanquam animal rationale & sociale producere vellet, certe læsionem sui, vel proximi præcipere non potuit: utpote quod sustulisset decretum de creando animali sociali.

§. XIII. (2.) *Si nulla actio ante interdictum vel div. vel humanum, mala est, tum nec Deus, nec homo, malum unquam prohibuerunt. Ratio consequens est. Quia hoc modo prohibitio semper prior sit ipso malo, quod per & propter illam, demum naturam suam nanciscitur. Sed consequens non est. Absurdum enim foret, dicere, Deum nihil unquam prohibuisse, nisi quod sua natura bonum vel indifferens fuit. E. nec illud sibi constat, nullum sua natura bonum vel indifferens esse, & à lege demum dependere moralitatem. Resp.* Confunduntur in hoc argumento actus sua natura boni sive utiles, & mali sive noxii & inutiles, cum bonis & malis moraliter. Est vero actio sua natura bona, quæ utilis, quæ cum natura hominis rationali necessariam connexionem aut repugnantiam habet. Sed ejusmodi actiones nondum sunt honestæ vel turpes, verum honestatem atq; turpitudinem suam inde habent, quod lege simul præceptæ sunt vel prohibitæ. Moralitatis enim ratio formalis in convenientia vel repugnantia cum lege consistit. Unde conveniunt quidem actiones



70
moraliter bonæ cum natura hominis, in ea tamen 'convenientia' formalis ratio bonitatis moralis non consistit. Ita v. g. Utile sive bonum est, ægrotos medicamentis uti, & à certis cibis abstinere, sed nemo dixerit has actiones moraliter bonas & honestas. Pariter etiam si quis superiori obtemperat, facit, quod suæ naturæ est conveniens, & à lege simul præceptum. Quatenus igitur intuitu legis obedientiam hanc præstitit, est actio moraliter bona & honesta, quam favor superioris sequitur. Verum intelligi nequit, quomodo præcise eo nomine, quia naturæ suæ convenienter egit, obsequii laudem & superioris approbationem mereri queat. Ac proinde hæc ipsa actuum hum. bonitas s. utilitas & malitia est objectum atque fundamentum legis nat. neque à nuda & sola Dei prohibitione bonum aut malum oriri solet. Caterum vero minime putandum ac si natura actuum humanorum prior sit ipsa lege. Sed eo ipso, dum hominem creavit, certamque essentiam eidem assignavit, voluit, ut certi motus ad legem referrentur, & ex convenientia aut disconvenientia cum eadem, honestatis & turpitudinis rationem sortirentur.

§. XIV. *Si omnia per se sunt indifferentia, adeoque & omne jus imperii parendique, Deo impossibile est ad quidquam nos obligare.* Resp. Negando consequ. Deus enim non tantum legem dedit, sed & simul parendi necessitatem. Nam ex quo Deus homini in creatione talem indolem assignavit, ut ipsum tanquam Creatorem, propriamque suam conditionem non possit non agnoscere, certe non amplius homini integrum fuit, jussa Dei pro lubitu sequi aut detrectare, quod indoli creaturæ rationalis adversatur.

§. XV. (4.) *Essentia rerum sunt aternæ E. etiam actionum honestas & turpitudine.* Resp. Minus congrue hic applicatur canon ille tritissimus, quod perspicue nos edocere potest genuina ipsius interpretatio, quæ ex altero illo; singularium nulla datur scientia, facile constat. Videlicet cum res singulares modo orientur, modo intereant, viderunt philosophi, ejusmodi res contingentes, & mutationibus obnoxias, sub demonstrationem cadere non posse. Vicissim vero absurdum putabant, veritates de natura rerum semel existentium, hisce intereuntibus, simul mutari & interire. Inde coeperunt essentias ab existentia divellere, eosdemque præcisa existentia considerare, hoc est, fecerunt certos sibi conceptus, qui à particularibus & variantibus rerum attributis, & hujus vel illius individui existentia, abstrahunt, ut ita propositionum connexio, v. g. de natura rosæ aliarumque rerum, quæ ortui & interitui obnoxia sunt, etiam in hieme, & quando nullæ earundem existunt, non minus vera sit, quam tempore veris, aut quando quid velut existens oculis nostris

nostris obversatur, neque demum ab actuali existentia dependeat. Unde jam patet, aeternitatem hanc mutationi tantum atque interitui rerum oppositam esse, non autem ipsi existentiae, quasi sc. essentiae rerum ante ipsas existentias fuissent. *Vid. Disp. B. D. Alberti Praeceptoris quondam mei fidelissimi, de Existentia §. 21. seqq.* Sed instas denuo atque dicis: *Quamvis ipsa v. g. hominis aliarumque rerum essentia semper & ab aeterno non sit, nihilominus tamen combinabilitatem, sive mutuum respectum requisitorum, ad certam alicujus essentiae constitutionem necessarium, aeternam esse & immutabilem antecederet ad divinam voluntatem: & quidem tum intrinsece, & ratione; sui tum extrinsece, & ratione divini intellectus vel divinae scientiae atque omnipotentiae, qua omnes in sinu rationis nostrae voluntatem ejus antecedunt.* Verum antequam in specie rationes, quibus investiri solet haec assertio, videamus, in genere statim excutienda est falsa, qua innitur, hypothesis. Nimirum falso praesupponunt essentias rerum esse posse, ante ipsam earundem existentiam. Quamvis enim omnino juvet, conceptus quosdam generales ab individuis abstrahere, adeoque rerum essentiam praecisa earundem existentia considerare: nullatenus tamen ista rerum essentia, negata existentia, stare potest, sed eandem simul ponit. Alias, enim uti observat accuratissimus Scherzerus à B. D. Alberti l. c. allegatus, *α) multa entia contra distincta fuissent Deo ante creationem, β) Deus creasset creaturas non secundum esse principale seu essentiam; saltim secundum existentiam. γ) Deus nullam creaturam posset annihilare.* Breviter. Essentia est ipsa entis perfectio, existentia vero tantum id, quo aliquid dicitur esse extra nihil. Essentia igitur absque existentia à nihilo nihil differt, cum esse, & non existere, se mutuo tollant. Sublata jam hypothese progredior ad ipsas probationes. Primo, quod combinabilitatem illam secundum se & absolute concernit, dicunt: *Sicuti, v. g. in triangulo è tribus angulis contiguis formaliter oritur triangulus verus, non fictus: ita è combinatione animalitatis & rationalitatis oritur homo verus. Non qua antecedens praecise voluntas, sed qua veritas humana natura, qua aliter se habere non potest, immutabiliter hanc connexionem requirit. Non enim ex quolibet quodlibet fieri potest, nec idem, ut vere idem sit, & maneat, ex diversa & opposita ratione constare potest.* Sed ex modo dictis haec perse corruunt. Nam propositio; homo est animal ratione praeditum, planissime ideo affirmari potest, quoniam talis creatura in rerum natura existit, cui nomen hoc est inditum. Quemadmodum vicissim in altera vita; ubi reliqua animalia exitura non sunt, nec propositiones haec, v. g. Bos est animal, locum sunt habiturae. Quinimo cum Deus velut deliberando decreverit, condere hominem ad



70
imaginem suam, quomodo quis asserere audeat, jam antè hominis essentiam in promptu fuisse. Neque enim adeo necessaria est ista combinabilitas, cum plures dentur naturæ animales, quibus rationalis conjuncta non est, & rationales, sed absque animali. Quod igitur ex quolibet quodlibet fieri non possit, id minus apte, ante voluntatem Dei, materiæ tantum, seu rerum combinabilitati & congruentiæ adscribitur, cum illa sane haud repugnet, quominus à Deo omnipotenti in varias formas atque dispositiones pro lubitu in infinitum transmutari queat. Potius dictæ illud præsupponit res determinatas ac definitas, quæ immutabilitatis suæ certos fines habent. Atque ex his præmissis per se jam cadunt reliqua, ubi statuitur: quod immutabiles quoque sint rerum naturæ, si considerentur, *prout divinus intellectus eas cognoscit, & pro ut in mente divina per ideas representantur.* Sed unde quæso illa representatio, nisi à decreto de procreandis rerum essentiis factio. Unde Deus aliter rerum essentias cognoscere non potuit, quam quales creare decrevit. Equidem hic excipitur: *Quamvis actu illæ essentiæ non extiterint, fuisse tamen potentia.* Ubi possibilitatem illam considerant alii ex parte scientiæ, & dicunt: *Deum ex infinitudine sapientiæ naturaliter intelligere, ante omnem actum voluntatis per voluntatem formaliter elicitum, quid fieri queat, & quid ipse facere seu creare possit.* Alii ex parte omnipotentæ: quatenus scil. essentiæ rerum sunt objectum omnipotentæ divinæ, juxta quam Deus omnia creata producit. Atque hoc respectu essentias rerum sine existentia nihil aliud dicunt, quam *possibilitates sive aptitudines ad existendum, in ipsum existendi actum erupturas, simul ac Deus voluerit.* Sed Resp. Quoad esse hoc extrinsecum, essentiæ ejusmodi habent quidem aliquid reale & positivum, scil. omnipotentiam & decentiam Dei, quo respectu possibles ab æterno sunt. Verum istud nil aliud notat, quam in Deo esse ab æterno adeo excellentem potentiam, quæ potest facere, ut res hujusmodi extra nihilum positæ existant, in suo esse perseverent, quando & quamdiu isti potentiæ placuerit. Hoc est. Non infert necessariam aliquam rerum producibilium emanationem, sed tantum fundamentum notat & principium exsequens, ut aliquid extra Deum esse possit. Cum vero essentiæ tales, certi ac definiti quid sint, etiam principium aliquod imperans atque dirigens præsupponunt. Hinc licet in Deo sit attributum necessarium, attamen non necessario, velut in potentiis determinatis atque brutis sese exerit, sed potius secundum beneplacitum Dei, liberrime agentis. Et nunc simul patebit, quid respondendum sit, quoad scientiam divinam. Est vero scientia Dei naturalis, de hac enim h. l. sermo est, per quam Deus res omnes ut possibles cognoscit; quæ & inde
sim-

simplicis intelligentiæ audit. Cum igitur possibilitates illæ citra voluntatem divinam ab omnipotentia necessario non emanent, qua ratione scibiles dici queant, haud video. Dicitis: Deum ex infinitudine scientiæ totam velut abyssum omnipotentia suæ perlustrasse, antequam de rebus producendis quicquam decerneretur: notandum est, quod hoc non sit speculari rerum essentias, sed suam tantum potentiam. Jam igitur cum antecedens utrinque non nisi præsupposita divina voluntate procedat: nullatenus etiam stare poterit consequens, quod inde quocunque modo deducere intendunt.

§. XVI. (5.) *Quemadmodum se habet intellectus div. ad entia naturalia eorundemque affectiones: ita se habet voluntas ad moralia eorundemque affectiones. Sed intellectus divinus ita se habet, ut non sit norma veritatis. E. nec voluntas erit norma moralitatis.* Resp. Comparatio hæc minime procedit, propter insignem objectorum diversitatem. Nam alia plane res est, cum objectis naturalibus: ibi enim affectiones per se & naturaliter objectis inhærent, atque sensu percipiuntur. Sed in moralibus non item. Si quidem hæc ab imputatione superioris vel imperantis dependent, & rebus quoad substantiam physicam perfectis, velut superaddita seu imposita subintelliguntur. Deinde simul probe notandum, quod à divina voluntate omnia in esse & existere debeant: Intellectus autem tanquam facultas necessaria decretum de rerum productione præsupponat.

§. XVII. (6.) *Si quedam actiones ad finem à DEO homini præscriptum simpliciter atque ex intrinseca natura sunt necessariae, sequitur quod non omnes ex hypothese & mera voluntate legislatoris tales sint. Atqui verum est prius. E. & posterius.* Resp. Facilis est h. l. responsio. Cum enim DEUS ex liberrima voluntate hominem ad certum finem condiderit, ex eadem simul voluntate, tanquam ens perfectissimum & sapientissimum, certos actus, ad finem hunc consequendum necessarios, determinavit. Adeoque omnino dantur actus homini ad obtinendum finem, ad quem à DEO conditus est, per se & sua natura necessarii, & hoc modo conceditur totum argumentum. Quod si tamen adversæ partis ea mens sit, ut per meram hanc DEI voluntatem, nuda quædam, aut absoluta, & priori, qua homo ad certum finem conditus est, contradistincta subintelligatur, apertissime hoc in voluntate DEI sibi per omnia constantis, involveret imperfectionem. Recte Cajetanus (ap. Voët. p. 344.) *Divina, inquit, voluntas, licet sit simpliciter libera ad extra, tamen ex suppositione unius actus liberi potest necessitari ad alium, ut; si vult promittere absolute, necessitatur ad implendum promissum. &c. si vult habere subditos rationales, non potest non esse legislator eorum.*


§. XVIII.

70
§. XVIII. (7.) *Quic. actus per se congruunt vel repugnant sapientiæ & justitiæ divinæ, illorum honestas vel turpitudine non demum à voluntate divinæ dependet. Atqui verum est prius.* Adeo quippe necessaria est actuum, quorundam ad certa objecta relatio & convenientia, ut, v. g. colere, nisi ad conveniens sibi objectum, DEUM, referatur, non possit non moralis deformitas oriri. Et hinc per consequens etiam honestas vel turpitudine actuum non demum à voluntate divinæ dependet. Resp. Omnes quidem ejusmodi actus Juris N. ex se & sua natura repugnant sapientiæ & justitiæ divinæ. Verum præsupposito subjecto habili. Nisi enim darentur creaturæ rationales & sociales, quas lex obligaret, nulla sane actuum ejusmodi fieri posset mentio. Tolle visum, tolle auditum, & sublata simul erunt, quæ, de coloribus & sono hæctenus dici solent. Ita, si præter bestias, creatura alia non existeret, etiam non affutura foret, ulla necessaria actuum quorundam ad certa objecta, vel relatio, vel convenientia. Unde patet, *τὸ* per se h. l. in actionibus honestis non opponendum esse divinæ voluntati, sed impositioni aut opinioni tantum humanæ. Sicuti & Aristoteles (Rhetor. Lib. I. c. 13.) id quod natura justum, opponit legibus civilibus & positivis, quæ non ubique valent, & ex conventionem vel opinione humana oriuntur. Per se igitur dicuntur actus congruere vel repugnare sapientiæ & justitiæ divinæ, quatenus Deus creator optimus & sapientissimus homini talem naturam tribuit, ex qua necessitas illorum actuum resultat.

§. XIX. Denique etiam sunt, qui urgent, differentiam inter legem Dei positivam & naturalem tolli. Verum insignis ea manet tum ratione actuum, tum adjuncti, tum promulgationis. Actus enim Legis N. necessariam cum humana natura convenientiam involvunt: Positivæ vicissim non item: adeoque etiam & præcipi & vetari possunt. Deinde quoad adjunctum. Lex N. propter nexum cum natura humana necessarium, mutari non potest: Sed positiva est mutabilis. Quoad promulgationem denique illa per naturam & nativitatem, hæc per peculiarem revelationem manifestatur. Quæ omnia, ut puto, in se sunt notissima. Atque hæc impræsentiarum adduxisse sufficiat. Potuissent equidem plura huc afferri, quæ contra thesin assertam, vel directe, vel indirecte proponuntur. Verum levioris momenti videntur, vel etiam ex dictis facile resolvi possunt. Filum igitur Disputationis abrumpo, Deoque pro concessis viribus gratias ago decentissimas. Ipsi sit laus, honor & gloria!

COROLLARIA.

- I. Non entis nullæ sunt affectiones.
- II. Physicum, quatenus tale, realiter ab eo, quod morale est, distinguitur.
- III. Uti in physicis, sic etiam in moralibus, suprema lex est, divina voluntas.







Leipzig, Diss., 1700/01


ULB Halle 3
003 242 528



82


1017





uffion
erem
am ex
Clar.
ud. Q
l. qu
rela
fisse.
Pler
ex de
in ca
idiun
litoro
S. 4
utiq
fil

S.



157.

10/ 7N
1700, 6
8

De
ΑΔΙΑΦΟΡΙΑ

in
MORALIBUS,
Inclytæ Facultatis Philosophicæ
Consensu,

PRO LOCO
in eadem obtinendo,
PRIORIVICE
Ad d. XXII. Decembr. M. DCC.
disputabit
M. JO. JACOB. MAYER,
Zittâ-Luf.

LIPSIÆ,
LITERIS GÖZIANIS.

